

**Puerperam suffocationis hypochondriaco-hystericae periculo expositam /
... disputaturus Ludov. A August. Hahn.**

Contributors

Hahn, Ludwig August, 1675-
Slevogt, Johann Adrian, 1653-1726.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : [Lit. Gollnerianis], [1701]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kvd4y2z8>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

PUERPERAM
SVFFOCATIONIS
HYPOCHONDRIACO-
HYSTERICÆ PERICVLO

EXPOSITAM,

JVSSV ET AVTORITATE

*illustris ac gratissimæ Facultatis Medicæ
 Jenensis,*

SVB PRÆSIDIO

JO. HADRIANI SLEVOGTHI

HAEREDITARI IN Ober-Rößla/
 M. D. ANAT. CHIR. ET BOTAN. P. P.
 MED. PROV. SAX.

*Patroni, Præceptoris, & Promotoris sui
 venerandi,*

PRO LICENTIA

HONORES DOCTORALES IMPETRANDI

SOLENNITER DISPVATATVRVS

LVDOV. AVGVST. HAHN

CAMBURGO-THVRING.

PRACTICVS RONNEBURGENSIS

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

IN AUDITORIO MAJORI

AD D. XXVIII. SEPTEMBR. ANNO M DCCI
 ERVDITORVM EXAMINI EXPONET

МАНДРАВИД

САДУДОГЮРУН

ГОРДОН

ПРЕДВИЖДАН. О

ЗАДОРОДИ. ПРИЧАЩАЕМОМ

ДОЛГОЛЕТИЯ, СЛОВОДАНОВОЙ

УДОВОЛЬСТВИИ, ГОДОВИНОЙ

ПРАКТИК. ПОНЯВАЕМОСТЬ

СВЯТОГО МАРТЫНЯ СВЯТОГО ТОМАСА

БОЦИ

СВЯТОГО МАРИИ ЕХОНЕТ



Q. D. B. V.

PRAELOQUIVM.

Tstatutis academicis, publicum eruditio-
nis specimen ab honorum doctoralium
Candidatis postulantibus, satisfacerem,
S meditabar de *UNICORNU FOSSILI*
non minus, quod *MINERALE* vocant,
quam *ANIMALI* stricte dicto, & a RHI-
NOCERO TICO distincto, scriptiunculam, quæ Pa-
tronis profectuum meorum aliqualem rationem redde-
ret.

Cum enim hactenus de origine istorum cornuum,
quæ passim apud rerum exoticarum Curiosos, sub varia
longitudine, figura atque consistentia reperiuntur, dubi-
tatum sit, ab aquaticone an terrestri animali decerp-
tunt, & claram lucem illustris LUDOLFII historia
Æthiopica huic controversiae accendat: de altero
vero ex terra, vel undis quacunque ratione cruto, acriter
adhuc disputetur; & ab his quidem id vera animalis alicu-
jus pars; ab aliis autem naturæ saitem in bolari topha-
ceaque terra lusus statuatur; & rursus aliis utraque sen-
tentia, pro re nata, verosimilis habeatur: operæ certe pre-
tium videbatur, plurimos autores de hac materia inspice-
re, ut sobrium de unoquoque judicium formari posset.

Primam autem mihi occasionem, cum cura de hac
materia cogitandi, dederat massa quædam, ante aliquot
annos prope Camburgum, Thuringiæ oppidum, ex lit-

tore Salæ fluvii, radicem montis ibi alluvie sua diruentis, protracta, & Domino Parenti meo oblata. Hæc crassitie brachium viri, longitudine tres ulnas æquabat; figura erat dentis elephantini, color albus, substantia lapidea quidem ad sensum, sed friabilis & tenera, prorsusq; elegans, ut nec B. Rolfinio, nec Danieli Ludovici unquam præstantior visa fuerit. Facta ulteriori loci perscrutatione, varia adhuc ossium animalis alicujus grandioris frusta reperiebantur; inque his præ cæteris notabiles erant sex dentes, adhuc maxillæ inhærentes; quorum singuli duas uncias pendebant, suaque duritie limam elidebant. Interjecto deinde tempore, haud procul Camburgo, in pago Timpling, una cum bene multis fragmentis osseo lapideis, cornu, duas ulnas longum, modice incurvatum, & non maxillæ, sed crano, bovinum caput superanti, circa radicem narium innatum, ut minime pro dente quodam haberi posset, effodiebatur: eratque valde porosum, & ab albedine istius, supra dicti, multum recedebat.

Enimvero, cum accurata tractatio hujus thematis prolixiores pagellas, quam dissertationi academicæ hodie destinari solent, requirat; ideo temporis rationem habens, seposui istud tantisper, & præsentem potius casum hac vice explicandum mihi sumsi: Summum Numen devote orans, ut conatus meos flices esse jubeat.

HIS-

HISTORIA.

Fœmina sanguineophlegmatica, tenerioris quidem texturæ corpore, sed admodum fœcundo prædita erat, ut vigesimum octavum ætatis annum nondum supergressa, jam novem liberorum mater salutaretur. Pepererat autem ultima vice cum ingenti difficultate puellam, mox fatis cedentem, & multis tunc incommodis, ex abundantia lactis atque lochiorum paucitate oriundis, fuerat afflita. Post hæc denuo grava reddita, gemellos utero gerebat, eorumque unum d. i. Januar. feliciter excludebat: alter vero manum dextram extra uterum protendens, cum ab obstetricie nulla ratione ad

fitum, partui convenientem, reduci posset, & sequente die a continuis validisque conatibus parturientis extinctus esset, tandem per instrumenta ferrea extrahebatur. Debilitaverant istiusmodi labores puerperam insigniter, & vexabatur insuper doloribus post partum, quos Nostrates Nachwehen appellare solent, adeo vehementer, ut post irritum domesticorum remediorum usum, medici auxilio opus esset, quo etiam ægra optato cum successu fruebatur. Cum vero die quarto Jan. placentam pingue m comedisset, & semel iterumque vinum hornotinum ingessisset, post horæ lapsum ingentem abdominis inflationem, duorum capitum infantilium figuram referentem,

36)(7.)(5)

tem, una cum calore au^{to} corporis sustinebat, donec alvus bis soluta & uterus grumosum sanguinem excernens, molestiarum finem facerent. Die 5 dolebat caput cum vertigine, appetitus fere erat nullus, & oculorum acies post somnum aliquandiu retusior. Die 6 bibberat in scia novellam & fæculentiam cerevisiam, sibiique satis bene valere visa, maximam diei partem, obiter vestita, extra lectum consumferat: sed cum circa vesperam infans præter morem inquietus esset, quotiescumque mater ploranti mammas præbebat, toties ipsa ventris intumescientiam & tormina patiebatur, simul & lochia parcius procedere, manuq; quasi genitalia intus stringi sentiebat. Post medi-

medianī noctem a latrante cane
terrefacta, primum de inexplicabi-
li anxietate & imminente animi
deliquio, hinc difficulter & cum
roncho spiritum trahēs, de cuneo,
in faucibus hærente, & strangula-
tionē minitante, conquerebatur.
Mox voce plane destituta, oculis
appertis jacens, dextram manum
atque pedem frequenter commo-
vebat. Durabant hæc usque ad ho-
ram tertiam matutinam. Post-
quam enim mulierculæ vicinæ
convocatæ varios fotus atque
fumos adhibuerant, neque tamen
hos & alia experimenta negotio
sufficere animadverterant, Medi-
cum accersebant: qui ægram ad-
huc aphoram & anxiam valde, sed
visu atque intellectu tamen præ-
-ibet ditam

ditam inveniebat. Facies obscu-
re rubebat , collum erat turgi-
dum , lingua spumam cruentam
volutabat. Venter sub fascia , qua
regio umbilicalis constricta erat ,
ad rupturam tumebat, manusque
imposita , modo in hypogastrio
motum tremulum ac subsultori-
um , quadrantis horæ spatio ter
quaterque recurrentem , modo
globum , ex ilibus dextris subinde
assurgentem , & per medium ab-
domen excurrentem , deprehen-
debat. Pulsus erat celer , cum du-
ritie, extrema frigebant , & sudor
copiosus in facie & pectore , me-
diocriter calentibus, hærebat,
ægra ruetitabat, alvus heri
fuerat aperta.

P. C.

B

35)(10.)(5)
RESOLVTIO.

§. I.

Cum fœmina, modo descripta, jam dudum reconvulerit, nullumque ipsi amplius ex mora periculum immineat, lubet, priusquam ad consilium desideratum, & curationis methodum accedimus, naturam ægritudinis, ejusque causas, tanquam in præsentia adhuc ad decumbentis lectum adstaremus, benevolo lectori exponere.

§. II. Nomen affectus in frontispicio discursus hujus posuimus *suffocationem hypochondriaco hysterica*, quod a symptomate actionis vitalis, maxime urgente, & duobus tot malorum fontibus desumsumus. Vocatur alias simpliciter *strangulatio uterina*, græcis Πνιξ ὑστερική, Helmontio *asthma muliebre*, Barbettæ *suffocatio hypochondriaca*: ipsæ vero ægrotæ Heraclidi Pontico apud Galenum, l. 6. de L. A. cap. 5, ἀπνοι, id est, non respirantes erant. Aliis, *ad focum* potius mali, quam ad respirationis difficultatem respicientibus, *passio hysterica*, vel cum Paracelso, *Caducus uteri* audit: quos etiam Germani sequuntur, a quibus, die Mutterbeschwerung/ Mutteraufsteigen / & absolute die Mutter salutatur.

§. III. Secundum vulgatam sententiam, est *Morbus malignus*, cum subitanæ a totius corporis refrigeratione, & omnium quandoque facultatum læsa actione, a vapore maligno, ab utero ad partes superiores elevato, dependens. Habetur hæc definitio in Costeri tabulis: sed est minus bona. Neque enim ejusmodi passio morbus dici potest: cum non ipsa actiones lædat, quod morborum proprium est, sed potius tota ex læsis actionibus conglomeretur. Quamvis enim exterius collum & venter, intus vero diaphragma, ventriculus & intestina, ipseque subinde uterus figuram suam mutent, ista tamen hoc loco ad constituendum genus

genus minus sufficiunt, essetque proinde Jonstoniana de-
scriptio melior, ubi generis loco *congeries symptomatum*
ponitur: nisi (1.) symptomatibus, i. e. ipsis actionibus læ-
sis, vim actiones impugnandi tribuisset: (2) cum Costero,
contra sensuum fidem, totius corporis refrigerationem
allegasset, cuius contrarium tamen in nostræ ægræ pari-
ter, ac subinde aliarum quoque superioribus partibus de-
prehenditur: & (3) vaporí maligno, ex utero elevato,
causæ tot ærumnarum munus assignasset.

§. IV. Tutius itaque putamus, id demum cum Meibo-
mio, in diss. de hac materia, hystericæ passionis nomine di-
gnari, quando fœmina, cum gravitatem vitalium & animalium
actionum lesione, respiratio intercipi, & illa quasi strangula-
ri suffocarique videtur. Est enim hoc phænomenon
præ reliquis notabile, incurritque adeo in sensus adstan-
tium, ut ipsæ mulierculæ, statum ægrotantium cognoscentes, eas, propter analogiam, uno ore hystericas ap-
pellent. In quo negotio eas minime judicium fallit; mo-
do non soli utero, irregulariter moto, omnem ubique cul-
pam tribuant; cum interdum fœmina, absque ejus vitio,
difficillimam respirationem, hystericæ, quoad externa,
valde similem, incurrere possit, & in nostra etiam ægra,
præter istum, etiam primæ viæ, sub hypochondriorum
nomine comprehensæ, ventriculus scil. intestina, mesen-
terium, ejusque vasa laborent. Id quod in sequentibus
non solum verbis demonstrabimus; sed ipsa etiam manus, abdomini ægrotantis imposita, testatur.

§. V. Haud igitur de ulterioribus signis, τὸ δὲ decla-
rantibus, erimus solliciti; id tantum actui, ut explice-
mus, quomodo ab aliis affectibus, cum quibus sympto-
mata quædam communia habet, & nonnunquam com-
plicatur, distingui queat.

§. VI. Differt autem præsens ægra a syncopticis, vere & stricte talibus, (1) ratione invasionis. Hæ enim prosternuntur sæpenumero desubito: illa vero jamdum heri, & pridie, & nudius quartus præludia hujus fabulæ perceperat. Aliis torpor mentis, tinnitus aurium, oscitatio, pandiculatio, visus depravatio, dolores capitis & artuum, horumque gravitas, hinc cibi fastidium, cor-disque palpitatio, & singularis *δυσαρέσησις*, urina tenuis aquæ, &c. præcursoris insultus existunt. (2) syncopticæ pallent & frigent, sicut mortuæ; nostræ rubebat facies, & cum pectore mediocriter calebat. (3) illæ sensu, motu ac respiratione destituuntur; hæc trahebat adhuc spiritum, quamvis cum difficultate, sentiebatque, quid cum se agebatur, manumque & pedem movebat. Quod si vero horum neutrum fecisset, non amplius suffocatione, sed *syncope* potius *hypochondriaco-hysterica* laborasset. Hoc enim, terminorū confusione evitaturi, ponimus, ceu *κενήσαι* hysterica strangulatione, stricte dicta, laborantium, ut saltem unam ex memoratis tribus actionibus adhuc exerceant: & putamus proinde, non solum eas hystericas, quas Galenus, loco supra citato, *sine sensu immobiles*, & omnino *sine pulsu* vidit, sed etiam fœminam, apud Plinium, septimo demum die ad vitam redeuntem, & quæ, testibus Vesalio, Riolano atque Paræo, jam sepulturæ destinatae sepultæque fuerunt, una cum famosa ista Coloniensi, ex sepulchro domum revertente, omnes *syncope* & *aspbyxia* correptarum catalogo fuisse inserendas. (4) dicunt equi- quidem, insultus hystericæ passionis *diutius*, quam syncopes, & *absque vita periculo* durare posse; nec non (5) hac affectas bene olentibus, ex utero vero laborantes fœtentibus recreari magis: sed utramque harum notarum suas limitationes admittere, patuit ex modo dictis, patebitque porro ex sequentibus.

35)(13.)(5)

§. VII. Ab *epilepsia* distinguitur *passio uterina*, (1) quod in hac sint motus convulsivi particulares, in illa universales. Unde concussions graviores membrorum, Galeno, l.c. observatae, *epilepticae* magis, quam *hystericae* audiunt. (2) *hystericae* sciunt, quid actum sit in paroxysmo, *epilepticae* minime. (3) caducis spumat os plerumque, strangulatis raro. (4) illæ pulsus habent fortiorum, & (5) quando materiam pravam per uterus atque alvum in paroxysmo excernunt, cum nullo vel saltet exiguo levamine id sit, cum contra ea per talismodi excretiones possio uterina valde mitigetur,

§. VIII. Apoplecticæ magis stertunt, manentque immotæ, & adeo ~~avarditæ~~, ut nec acclamations audiunt, nec vellicationes, aut puncturas, ligaturasque, & pilorum evulsiones percipiant, a quibus *hystericae* tamen commoventur. Sic illæ quoque tertius, ac citius intereunt, & fere nunquam plenum sanitatis vigorem, ut pleræque harum, recuperant.

§. IX. Quo minus vero nobis a Barbette *passio hysterica* sub *hypochondriaci mali* specie obtrudatur, consideratio subjecti, mox evolvenda, prohibebit. Neque etiam difficile erit, *dormientem ebriam* ab *hysterica*, ex ipso corporis habitu, integritate respirationis, pulsuque pleno, & vocem articulatam edendi facultate, quam paulo impetuosius concussa exeret, distinguere. Tandem & cum *vire mortuis* nemo unquam confundet ex uto-ro strangulandas, qui ex §. 6 ad harum à syncopticis discrepantiam animum adverterit.

§. X. Cognito sic τῷ θῇ ægritudinis recta ad τῷ διόῃ pergeremus, nisi ingens adhuc de subjectis ac sedibus causarum definiendis, autorum discordia componenda esset. De subjecto ut quod equidem nullum restat dubium, id

fæminino sexui soli proprium esse, cum viri (sicut per experientiam summorum medicorum, Wedelii, Pisonis, Sylvii, Highmori, Willisi, Ettmüller, aliorumque constat) quando subinde haud dissimilibus uterinæ strangulationi difficultatibus premuntur, sub hypochondriacorum tamen classe adhuc comprehendantur. Inter fœminas autem vix unquam puellæ teneræ, aut decrepitæ anus, raro prægnantes, crebrius vero, virgines viro aptæ, viduæ juniores; & ex conjugatis steriles, aut viris frigidioribus copulatae; similiter quibus per morbum menses restituere, puerperæ item, & quæ alias corpore cacoehymico pollent, historientis subjiciuntur.

§. XI. Subjectum, *ut quo*, morbi scil. vel potius morborum, ac inde dependentium symptomatum, sunt partes corporis tam *fluidæ*, humores sc. & spiritus, quam *solidæ*; quæ in nostra ægra ita afficiuntur, ut parum absit, quin earum status p. n. in paroxysmo sensus non minus adstantium, quam ægrotæ moveat. Et quidem respectu *strangulationis, anxietatis & pulsus mutati*, sunt in collo ac medio ventre fauces, deglutitionis scil. ac respiratio-
nis viæ, & in his membrane ac musculi pharyngis & laryn-
gis, cum corde & diaphragmate: in abdomen vero, re-
spectu tumultuum, in eo exorientium, *stomachus, mesente-
rium & intestina*, potissimum autem *colon, & uterus*: in
quibus omnibus tamen non ubique idem patiendi mo-
dus est. Quippe superiores spasmodice tantum cri-
spantur ac stringuntur, ut fibræ earum breviores, cavita-
tesque arctiores fiant; patiuntur insuper ab aliis magis per
consensum, aut accipiunt materiam peccantem aliunde:
dum contra inferiores partim per consensum, ut supe-
riores, spasmodicis tensionibus laborent; partim sibi-
metipsis crudos ac austeros humores præparent, a quo-
rum orgasmo inflantur ac misere torquentur.

§. XI.

§. XII. Quodnam autem subjectum causæ, sive focus tot ac multiplicium malorum sit, difficulter dicitur, abeuntque autores in partes diversissimas; quas tamen fere omnes in tres classes includere poterimus.

§. XIII. Prima classis comprehendit præter antiquissimos Medicos & Philosophos, Hippocratem sc. Platonem, Aristotelem, Aretæum, etiam mediæ ætatis Galenum, & recentiores Fernelium, Augenium, Spigelium, Laurentium, Riolanum, Sennertum, Sebizium, Helmontium, &c. qui omnes quidem *uterum* unanimiter, tanquam autorem omnium incommodorum accusant, sed in eo tamen a se invicem dissentunt, quod alii *uterum totum*, alii tantum *testes & tubas* loco moveri, & instrumenta respirationis immediate afficere, aërisque reciprocationem impedire velint: alii vero non ipsa hæc viscera assurgere, sed *vaporem* saltem quendam malignum ab iis ad superiora eructari ajant, Helmontiusque ne hunc quidem admittat, sed *uterum* per *insensibilem* quendam *influxum & blas immateriale* in pulmones agere contendat.

§. XIV. Altera classis eos habet, qui nova & contraria prorsus incedentes via, *uterum ab omni reatu absolvunt*: ita tamen, ut quamvis formatos antiquorum de hysterica passione conceptus, meris somniis annumerent, minime tamen de subjecto, causa; & indole mali sententiæ eorum concordent. Quippe Carolus Piso, in sel. observ. & consiliis de morb. a serosa colluv. ort. phænomena, non magis capitis, quam aliarum partium actiones concernentia, & antea ab utero ipso, vel saltem consensu cum eodem derivata, motuum epilepticorum species facit, & in capite, spinali medulla, nervisque potissimum vagis, a corrupta sericiolluvie produci scribit. Huic

in eo Willisi atque Sydenham adstipulantur, ut, ab utero recedentes, primario potius nervosum genus atque spiritus animales, quam vel istum, vel præcordia & respirationis organa affici credant; spirituum $\alpha\gamma\alpha\xi\alpha v$ autem, eorumque illapsus impetuosos in partes nervosas, ibi tumores, spasmos, anxietates, actionumque perversiones excludere perhibeant. Aliter statuunt Highmorus atque Franciscus Sylvius. Quamvis enim ambo uterum excusent, uterque tamen peculiarem focum mali comminiscitur. Prior enim sedem suffocationis in *ipsis pulmonibus, & vasis ac sinibus cordis* quærit, quasi in iis sanguis elasticè turgens, systolen non modo ac diastolen turbet, sed etiam pulmones impedit, quo minus secundum motum diaphragmatis atque thoracis moveri queant. Alter autem in Append. Prax. tract. 10. §. 314 & seqq. intestinum tenue allegat, unde flatus, & hæitus diversæ qualitatis attollantur; ut scil. ab *austeris* in faucibus sensus strangulationis; ab *acribus* vero & *viscosis*, œsophagi parietibus adhærentibus, ipsosque irritantibus, continua deglutendi necesitas, ac si aliquid ibidem hæreret; & tandem ab aquosis, ad orificium ventriculi sinistrum assidue assurgentibus, languor & propensio ad animi deliquium oriantur.

§. XV. Desumunt autem plerique, contra ascensum matricis disputantes, argumenta sua in genere quidem (1) ex firmo nexu hujus visceris cum vicinis: cuius intuitu jamdudum Galenus, l. c. eum ne quidem ad ventriculi orificium elevari posse scripserat. Sylvius autem, §. 310, omnem loci mutationem uteri plane impossibilem, & Graafius eandem, si saltem ad umbilicum usque fieret, cum summo cruciatu, anique & pudendorum ad interiora retractione conjunctum iri putat. (2) ex dis-

sectio-

sectionibus mulierum, omnium consensu, hysterica passione defunctorum, in quibus uteros sanissimos deprehenderunt. (3) ex quorundam virorum hypochondriacorum pathematibus, per omnia iis similibus, quibus sequior sexus affligi dicitur.

§. XVI. In specie autem pro Pisone, Willisio ac Sydenhamio pugnare videntur exempla foeminarum, de nullo vel mensium defectu, vel ulla alia circa uterus mala constitutione conquerentium; quas tamen una vel altera vehemens animi perturbatio, ira, v. g. terror, imo odor aliquis fortis, suffocationis hystericae æmulæ periculo exponunt. Nonnullas dolores dentium, aut capitis, aut alterius alicujus partis primo vexant, quas postmodum subinde ventris tormenta invadunt, & ipsa denique strangulatio prosternit. Accedit & hoc, quod tantum non semper, post superatum paroxysmum, capitis dolorem & languorem virium patientur, affectibusque soporosis facile passio hysterica se jungat, tollaturque per sternutationes & odoramenta naribus admota.

§. XVII. Verum enim vero quamvis nos uterus neque cum Platone ζῶον ἐπιθυμητὸν, & cum ipso, aliisque multis valde vagabundum statuamus; neque decantatis vaporibus, exinde ad superiores regiones exsurgentibus, multoque minus immateriali alicui regimini, ac incorporeæ in distans actioni multum tribuamus; nec etiam secundæ atque tertiæ objectioni penultiimi §, aut in proximo § allatorum argumentorum certitudinem in dubium vocemus; nihil tamen videtur impedire, quo minus assertamus, uterus pariter ac hypochondria, nunc singulatim, nunc conjunctim focum ægritudinis constituere, & modo alterutrum eorum, modo utrumque, pro renata idiopathice, aut per consensum laborare; ut, v. g. vel ute-

rus ægrotans hypochondriis, & hæc vicissim isti morbosam maculam inurant; vel ambo a quodam tertio in societatem p.n. status pertrahantur.

§. XVIII. Hæc vero est ipsa tertiae classis autorum sententia, quam non solum autoritas exc. Wedelii, Ettmüller, aliorumque medicinæ procerum tuetur, sed ipsa quoque nostra ægra sequi jubet. Adducemus itaque primo argumenta, quæ in genere uterum & hypochondria respiciunt; quibus statim subjungemus, quæ in specie in nostra ægra notatu digna videbuntur.

§. XIX. In genere igitur pro utero pugnat (1) naturalis ejus aptitudo, ut munus foci atque fontis tot malorum gerat. Habet enim (a) innumeras *fibras membranaceas* & *nervos*, ab intercostali, ejusque plexu mesaraco maximo, & medulla ossis sacri, in quibus spiritus ἐνογμῶνες hospitantur. (b) *fibras musculares*, instrumenta motus. (c) *vasorum & sanguinis* elasticæ insignem copiam. (d) *glandulas*, in sua testiumque substantia quam plurimas, quæ lympham, facile corruptibilem, & ad flatus tumoresque producendos aptam, tractant. (e) totus est porosus, ut multum humidi, instar spongiæ, suscipere queat. (f) si apud Willarium, cap. 10, de morb. convuls. tumor exiguis, subter osse pubis hærens, virginem hysterice strangulatæ simillimam reddere potuit; si digitus extremus læsus totam machinam convellit, quidni id uterus præstet, qui cum capite & corde, visceribusque abdominis amplissimum consensum habet: de quo Harvæi *exerc. de part.* videatur. (g) si liquor ejus, seu veterum semen muliebre, in statu naturali ciet libidinem, in p. n. autem gonorrhæam & furores excitat, quid ni etiam strangulations? (h) destinatur etiam in naturali statu excretioni inutilium humorum, a quibus facile, si stagnant, læditur. (i) in

partu exponitur subinde aëris contactui. (2) Præ reliquis
 huic malo nubiles, viduæ, puerperæ, & sane libidinosæ sub-
 jiciuntur, ut supra ex § vi. liquet, in quibus semen, vel men-
 ses, vel lochia, copia, accredine, aut motu, & quidem nunc
 seorsim, nunc simul peccant. (3) a fluxu mensium inordi-
 nato veniunt sæpen numero dolores entero - mesaraici,
 hinc procedente tempore stomachici, qui deinde respira-
 tionem turbant, & tandem caput quoque feriunt, donec
 ægrotum plane strangulent. Id quod in fluore albo quo-
 que evenire, ne Willisius atque Sydenhamius inficiantur.
 (4) In hysteriarum cadaveribus haud seniel tubi, testes,
 ipseque uterus tumoribus ulceribusque obsessi ostendun-
 tur. Tales viderunt Vesalius, Bauhinus, Riverius, & Die-
 merbrœck. Riolanus, anthropogr. lib. 2. describit testes
 virgineos, ad pugni magnitudinem materia serosa una
 cum tubis turgentes. (5) A vitriolo Romano, cum trauma-
 tico decocto in uterus injecto, vidi Harvæus symptoma-
 ta hysteris similia. Ex quibus patet, quid ab humoribus
 austero acidis, quos in utero nonnunquam gigni, nemo
 forsitan ambigit, sit metuendum. (6) Ex utero si effluit
 materia, aut flatus erumpunt, insultus finis instat. (7) Me-
 morabilia sunt verba Willissii, l. c. p. 119, *dislocatio uteri pu-*
erperis mox a partu interdum contingit; scil. cum uteri cor-
pus capacius factum, & recens inanitum, non recto in loco
intra pelvem subsidet, verum superius ad latus illius modo
dextrum, modo sinistrum declinat, ibidemq; instar marsupii
constricti, in molem ingentem ampliatur. Quid si jam con-
 tingeret, ut talis bursa clausa a lochiis retentis, aut aliis vi-
 tiosis humoribus fermentescientibus in magnam molem
 iterum expanderetur, annon daretur ascensus ejus p. n.
 possetque respirationi ingens obex pon? (8) Supponit B.
 Meibomius, in utero fermentum, quod in statu naturali,

tempore pubertatis, actuatum, totum corpus alterat, mensum fluorem & appetitum & excitat. In p.n. autem statu, quo justo plus vel minus MSeam exagitat, varios quoque excludit morbos, & in his suffocationem quoque: cuius paroxysmorum magnitudo & duratio ex gradu corruptionis laudati fermenti ita dependet, ut una mulier post lapsum bidui aut tridui sese recolligat; alia vero diu adhuc cum ventriculi debilitate, dolore dorsi & capitatis, vertigine, cordis palpitatione &c. cogatur collectari. (9) Tandem provocant nonnulli ad juvantia & nocentia, genitalibus & hypogastrio applicata, quorum virtus citius ad uterum, quam alias partes remotores pertingit, hystericalaque passionem, pro renata, excitat aut tollit. His addunt, malum cedere, aut praecaveri, si menses atque lochia redierint, si per conjugium excuterentur seminales loculi, si foemina conciperet, aut uteri prolapsum pateretur.

§. XX. Sicut autem hæc & similia, cum grano salis æstimata argumenta, uterum plus minus suspectum reddunt, quo eorum plura, aut pauciora ad ægrotæ statum applicari queunt: ita nec de nostra dubitandi locus est, ejus matricem ad recitatas passiones ansam porrexisse, si cogitaverimus, quantam debilitatem istud viscus ex πολυτοξίᾳ, gestatione gemellorum, partuque prorsus infelici sibi contraxerit, quid in aliis lochia retenta efficere valeant, & quantum nostræ eorum redditus levaminis attulerit; ut in curatione audiemus. Nec est reticendus constrictions sensus intra genitalia, quem ægra cum tumore ventris & torminibus, lochiorumque subsistentia percipit, quoties infanti mammas præbuit. Persuasi enim sumus, si Regnero Graafio tale quid in sua praxi obtigeret, aut is ex Galeni lectione cognovisset, obstetrices, id sedulo

sedulo agentes, in hysteris cervicem uteri non modo ad latera, sed etiam ita versus superiora retractum invenisse, quasi totus uterus sursum motus sit; aut interdum ipsa genitalia cum intestino recto adeo versus interiora strinxi atque claudi, ut nec clysteribus, nec pessis pateant, &c. ipsum sententiam, de ascensu uteri impossibilitate, quam potissimum ex hujus phænomeni in hysteris absentia formaverat, fuisse mutaturum.

§. XXI. Cognita jam mala constitutione uteri, restat, ut ostendamus, in nostra pariter ac aliis primas vias quoque focum ejusmodi infirmitatibus præbere. Si quidem (1) multæ, imo plurimæ hysteriarum nomine infames, extra paroxysmi tempus de ventriculi debilitate, & inde nato capitis dolore; de cruditate item nunc acida, nunc biliosa, ardore ventriculi, anxietate post cibum, rugibus, flatibus, &c. verbo: de malo hypochondriaco conqueruntur. (2) Suscitatur insultus facile ab erroribus diætæ naturalis: ut proinde nonnullæ vix dulciora, aut alia fermentescentia degustent, quin periculum invasionis subbeant. (3) multæ non tam de angustia asperæ arteriæ, quam gulæ conqueruntur: vel saltem hanc ista priorem sentiunt, ut ne medicamenta quidem deglutire queant: id quod nostræ etiam accidisse, infra legere dabitur. (4) Terminus insultus subinde est vomitus ac diarrhoea; ege runtque tunc imprimis per superiora acerba, acida, flava & viridia; ut pateat, humores, in stomacho & intestinis corruptos, facultatem expultricem stimulasse. Hoc loco mirabilis est Sydenhamii pertinacia, in afferenda sua hypothesi, ab $\alpha\tau\alpha\xi\alpha$ spirituum animalium, iisque, denso glomere in ventriculum ac intestina impulsis, ejusmodi motus potius, quam ab excretis vitiosis dependere: cum navigantes, ante a sanissimi, mox ex jactatu ma-

ris, infantesque in convulsivis paroxysmis, æque ac hystericae, etiam post iterata cathartica, viridia excernant. Sed ipsi opus adhuc est ostendere, a depravata bile non posse nervos atque spiritus, ad concitandos vomitus & sedes irritari. Deinde navigantes *quosdam*, (neque enim omnes vomunt,) non jam scatere humoribus corruptis, aut bonos per vertiginem, a fluctuatione navis introductam, aerisque marini singularem dispositionem non perverti; & tandem in visceribus infantium & fœminarum, subinde per crebras purgationes adhuc magis debilitatis, non posse novas cruditates generari, aut ex reliquo corpore cachymico adduci. (5) dictum est, hystericas esse flatibus obnoxias, & affliguntur nonnullæ adeo ab illis, ut, simul ac abdominis fascias relaxant, mox venter intumescat, & respiratio sufflaminetur. Occupant autem flatus non solum cavitatem intestinalum, sed etiam intra duplicates tunicas mesenterii concluduntur, easque in tumores distendunt, ægerrime solubiles. Cujus rei exemplum apud Willarium, i.e. extat. (6) Tandem hoc denuo citamus mares hypochondriacos, cum fœminis hystericas similia pathemata, certe non ex utero, sed primis viis potius experientes: ut inde bonam nobis formare liceat consequentiam, sic etiam in sequiori sexu non semper, vel non solum faltem uterum hysteriarum strangulationum focum esse.

§. XXII. Videtur equidem Clariss. Meibomio vix credibile, virorum ullum unquam symptomata, in fœminis hystericas, sic accurate dictis, occurrentia sustinuisse; cum sibi & parenti in praxi diffusissima talis haud obtigerit: nec, etiamsi per omnia in utriusque sexus ægris similia phænomena occurserent, proinde in sequiori ute- rum ab omni reatu absolvendum, sed ita potius conclu-

(23.) (5)

dendum esse, viros, ex alia quacunque causa, eadem ratione, ac fœminæ ex utero vexari solent, affligi posse. Sed licuit videre viros ejusmodi Wedelio, Willisio & Ettmüllerò, nec par est incusare uterum insontem, ubi sola hypochondria in culpa esse constat.

§. XXIII. Postquam hoc modo duos eximios fontes, unde tot symptomata propullulant, deteximus, jam ostendendum erit, qua ratione, & quo ordine singula inde emergant. Si Fernelium, Stupanum, Ranchinum, Jonstonum, Pisonem, Sennertum, Riverium, Bartholinum, Sebizium, &c consulimus, audiemus, vaporem malignum, & instar veneni torpedinis, aut phalangii, sub exigua mole magnam efficaciam possidentem, ex utero, transporos, vasa & nervos assurgentem, unicam & proximam suffocationis uterinæ causam esse, & functiones partium, ad quas pertigerit, offendere. Verum nec vapor, undecunque ille venerit, nec alia res ulla immediate symptomata producere potest: quia his *omnibus*, & *solis*, & *semper* competit, ut nec existant sine morbo, nec sine interventu ejus aliud ex alio proveniat.

§. XXIII. Hoc igitur ad causæ proximæ, vel potius, ob multitudinem tot differentium phænomenorum, ad causarum proximarum officium suscipiendum, citanda erit tota tria generum morborum: quia tot actiones læsæ, mutatæ qualitates, & anomaliæ circa excernenda & retinenda, nunc solutas, vel solvendas saltem unitates, aut vitiatas conformatioñes solidarum partium, nunc fluidarum crasis & temperiem perversam prius & proxime supponunt, easque demuni, sicut umbra corpus, inseqvuntur.

§. XXV. Hoc pacto causæ mediatæ proximioris censum subit omne, quod in utero ac primis viis natum

tum est acidum, acre, austерum, elasticum, & quicquid vel mole sua, vel qualitate aliqua tactili, & superficie inaequali cuspidata, hamata, serrata; vel denique motu indecente, nervosas, musculosas, aliasque sensu præditas partes irritat, in spasmos stringit, concutit, distendit; & vel hoc pacto, mediantibus partibus solidis, spirituum, sanguinis, aliorumque humorum motus auget, minuit, ac invertit: aut immediate sese his immiscendo, eos acuit & rarefacit, aut obtundit & inspissat; ipsamque denique naturam quasi excitat, admonet, stimulat, ut suas copias adversus hospites ejusmodi peregrinos colligat, vimque vi repulsura, solidas ac fluidas corporis partes irregulariter, & cum molestia saepe totius animalis commoveat.

§. XXVI. Materiæ causarum harum sunt particulae Ænæ, Æreæ, terreæ, aquæ, diversimode inter se conjunctæ & modificatæ, ut ad effervescentias, fermentationes, rosiones, irritationes, &c. producendas aptæ siant. Has suppeditant equidem jam, ut diximus, uterus & primæ viæ, & idcirco merito male audiunt: sed minime id facerent, nisi res naturales, non naturales, atque p. naturales occasionem & materiam portexissent, ut vitia ejusmodi in corporis œconomia gignerentur.

§. XXVII. Stat igitur inter remotiores causas primo loco temperamentum sanguineo phlegmaticum, in corpore fœminino, simulque teneriori: quod sicut a coctionibus viscerum debilioribus hucusque continuatum est, ita eas vicissim quoque tales reddidit: ut in ejusmodi corpore nunc facile cruditates generentur, & generatae postmodum promptius & manifestius lœdiant: quia solidarum partium mollior textura a levissimis irritamentis afficitur. Id quod hactenus evidentius, quam olim factum est, quia crebriores partus, & in primis duo difficiles

ultimi

ultimi vigorem nativum vehementer debilitarunt.

§. XXVIII. His accesserunt diætæ nocumenta, quæ quidem verbis exaggerare minus necessarium est, cum ipsa res loquatur. Frustra enim operose ostenderetur, placentam pingue, vinumque novum, tartaro suo crudo turgens, & cerevisiam fæculentam in ventriculo puerperæ, vix ab orco revocatæ, potuisse vitiosam fermentationem suscitare, inque crudissimam materiam peccantem degenerare: cum misera ægra non solum effetum horum errorum plus satis senserit, sed etiam quam imprudenter, obiter vestimentis tecta, & diu extra lectum manens, per inferiorum partium refrigerationem, lochiis exitum præcluserit, ut postmodum per terrorem tanto magis spiritus & humores in ægri lapsi sint.

§. XXIX. Quod si jam singula pathemata ægræ nostræ, prout in casu sese offerunt, proprius contemplari, & hactenus in genere quasi dicta, ad species applicare volumus, occurront primi omnium dolores post exclusum fœtum, qui haud raro majorem molestiam puerperis creant, quam fœtum egressurum præcurrentes. Distingui possunt in *veros* & *spurios*. Illi sunt *conatus naturæ*, quando humores, gestationis tempore in vasis & substantia uteri collectos, per hujus & vicinarum partium spasmodicam contractionem expellere nititur. *Spurii* hærent interdum tantum in *intestinis* & *mesenterio*, interdum autem copulantur cum veris, & tunc fere actionem naturæ circa uterum remorantur. Id quod in nostra quoque accidisse putamus, cui sine dubio simul orificium matricis, in partu difficulti ab obstetricie, situm vitiosum fœtus corrigere gestiente, durius tractatum, dolebat. Erant autem hac vice etiam *conatus* ipsius uteri, lochia expressuri, præter-

morem dolorifici. Cum enim hæc ob aërem, durante partu & extractione fœtus mortui, ad uterum admissum, in grumos abirent, & ægrius fluerent, natura majori molmine eorum expressionem instituebat, quam vires debiles puerperæ ferre quibant. Erat igitur medicamentis opus, nonsolum paregoricis, progenitalibus; sed etiam carminativis, blande resolventibus, & anodynis, pro intestinis & utero: ne ab ulterioribus torminibus, iisque per moram auctis, vires magis prosternerentur, & reliquum nervosum genus in lethiferum consensum traheretur.

§. XXX. Longe diversa ab his erant tormina, quæ nostra die sexto a feculenta cerevisia, & corporis refrigeratione patiebatur: quippe sedem eorum constituebant intestina; causam formalem rosio, distensio & intentata solutio continui; materialem humores crudi, fermentescentes, acres & elastici.

§. XXXI. Tumorem abdominis, die 4, duorum infantilium capitum figuram referentem & stabilem, æque ac istos, die 7 perceptos, tremulos, subsultantes, & ex ilibus trans abdomen excurrentes, non meros intestinales, sed simul quoque uterinos fuisse, colligimus, (1) ex causis occasionalibus, erroribus scil. diætæ, lochiorum retentione, & perpresso terrore. (2) ex symptomatum conjuncctorum, & tot actiones vitales atque animales concernentium, multitudine. (3) quod alvi repetita solutio, vomitus item, & excretio per uterus sanguinis grumosi, flatuum atque liquaminis corrupti, levamen attulerit.

§. XXXII. Dolor capitis, vertigo & visus hebetudo oriebantur d. 5 a materia acri, quæ membranas vellicando, crispaturas dolorificas, & spirituum animalium motus irregulares faciebat, imo per distorsiones nervorum

rum opticorum sufficientem eorum influxum prohibebat. Sunt qui talismodi symptomata facultatis animalis a consensu capitis cum ventriculo fieri putant, & hunc male affectum esse, ex appetitu imminuto colligunt. Sed quid obstat, quo minus causam mali ex sanguine impuro ad caput delatam, ibidem idiopathicam ægritudinem excitare, & ventriculum facultatemque naturalem etiam hoc loco antiquum obtinere, asseramus & quatenus non tantum ex omium fere reliquarum partium corporis, sed animæ ipsius quoque passionibus, & phantasie lusibus manifestum ac subitaneum detrimentum patiuntur. Cujus rei veritatem quilibet in seipso experiri solet, quando dolore capitis, aut saltem pedis graviter affectus, non æque esurit; aut sanus ac esuriens ab insperato gaudio, metuque & tristitia, aut ex aspectu rei nauseabundæ statim omne edendi desiderium sibi extingui sentit.

§. XXXIII. De reliquis pathematibus earumque causis, duæ discrepantes prostant sententiæ: quarum prima pleraque ex ventriculo resultare putat. Postulat autem hæc sibi concedi, stomachum humoribus acribus, austoris plenum esse; eoque concesso, ructus & vomitus, quorum in curatione mentio fiet, ab irritatione fundi & laterum stomachi derivat. Hinc pergit, ab eadem materia orificium sinistrum, & simul cum hoc carnosiore substantiam diaphragmatis, istud arcte ambientem, violementer contrahi, & sic cum maximo labore inspirationem fieri. Oriri hinc, ex suffocatione imminente, maximas anxietates, easque adhuc a nervis octavi paris, simul affectis, insigniter augeri; cum hisce mediantibus, cor ipsum in motu suo perturbetur, ut, propter denegatam justam diastoles dimensionem, frequentius pulsare, imo non nunquam plane feriari, & statum syncopes subire adiga-

tur. Eodem tempore & gulam , junctamque huic laryngis cavitatem stringi , ut ista cuneo occlusa videatur , hęc vero aërem cum sono stridulo transmittat. Hinc etiam nec vocem edi posse , cum, præter hanc morbosam viarum spiritalium conditionem , etiam nervi recurren- tes, cum vagis, unde oriuntur , convulsionis partem susti- neant.

§. XXXIV. Altera sententia non contradicit e- quidem allatis argumentis ; cum in masculino genere ap- prime locum habeant , & causas ructus , vomitus & im- peditæ deglutitionis satis bene explicent : sed sibi tamen libertatem vindicat , phænomena residua ex vitiato hu- morum motu potius, quam stomachi regimine deducere. Quem in finem præsupponit (1) ægram habuisse texturam partium mollium delicatam, facile ad spasmos irritabi- lem (2) Tonum viscerum & musculorum debilem, elasti- cisque causis minus resistere valentem. (3) humores vitio temperamenti, πολυτοξίας, errorum diætæ , partuumque difficultum , minus fuisse bonos; sed, pro renata, ad stases, ebullitiones , & motus alios inordinatos aptos. (4) per re frigerationem corporis & terrorem humores in mesente- rio, intestinis , utero , stasi in concepisse. (5) in loco calido stagnantes, fermentationes , acredinem & vim elasticam contraxisse. (6) a motibus spasmodicis sanguinem aliosq; humores, utiles æque ac inutiles , in p. n. motus abripi , & contra circulationis leges , in uno latere magis mo- veri, quam in opposito , plusque in unam partem pelli, urgeri, premi, quam in vicinam. (7) naturam ipsam tur- bulentum statum corporis sæpe adhuc magis turbare; quatenus alicui parti opem latura, aut materiam peccan- tem inde expulsura , huic & simul aliis vim facit.

§. XXXV, Sic facile patebit, ex qua ratione die 4 calor

calor corporis fuerit auctior: quia particulæ crudæ, ex placenta & vini fermentatione natæ, naturæ ansam obtulerunt, febris intermittentis paroxysmo simile quid occipere, ut materiam peccantem ex massa sanguinea expelleret.

§. XXXVI. Quando vero ægra die 7, post refrigerationem crurum & abdominis, genitalia intus manu quasi stringi, & ventris termina redire sensit, jam dudum insequentium pathematum initium habuit; donec per supervenientem subitum terrorem majores turbæ motusque, sibi invicem contrarii, in partibus, hactenus debilitatis, orirentur. Videtur autem vero valde simile, tunc partem unam uteri & intestinorum, in primis coli, & ipsius quoque mesenterii, a fermentatione stagnantium humorum tumuisse, aliam ab austestate convulsam riguisse, aliamque iterum ab acredine irritatam tremuisse, & sic sanguinis a superioribus ad hasce regiones descensum fere interceptum, ex parte autem eundem per hepar ad superiora vehementius promotum esse, ut a copia ejusdem præcordia & collum pene oppimerentur.

§. XXXVII. Neque enim cor regere potuit tantam molem: hinc pulsus fuit frequens, ursitque anxietas extrema, & animi deliquium; hinc aëris admissio labefacta & sonora, & vox suppressa; hinc collum redditum turgidulum, & rubuit, & sudaverunt superioros partes: ubi scilicet diaphragma a turgentibus visceribus abdominis perpetuo intra thoracem elevatum mansit, & vasa sanguifera ac musculi laryngis atque pharyngis crux adeo infarcta fuerunt, ut eum intra oris cavitatem, ejusque serum extra poros cutis dimitterent.

§. XXXVIII. Est itaque strangulatio hypochondriaco-uterina affectus terroris & periculi plenissimus: quia

principes affigit facultates, necique proximas ægrotas facit. Quam etiam nullatenus effugiunt, si sæpius & simili ferocia redierit, ut tandem misere per syncopen, aut appoplexiam finem vitæ patientur. Nonnunquam gravis succedit epilepsia, quæ diu quoque incurabilis persistit, aut redditur corpusculum cachecticum, ut tandem pereat hydrope. Hoc autem peculiare, & dignum pensatione est, quod citius dicuntur paralyticæ sanari posse, ex passione uterina tales factæ, quam si ex alia quacunque causa eadem fuerint correptæ.

§. XXXIX. Sed nostræ animum refocillabit bona evadendi spes, quam ætas florida, (seniores enim raro plene liberantur,) suppeditat, & novitas affectus, ex causis potius externis & inobilibus, quam viscerum intimiori atque radicata depravatione nati. Durabit tamen per unum alterumque mensem corporis debilitas, & reconvalescens toties ex utero, vel stomacho & hypochondriis affligetur, quoties ab erroribus diætæ, & illuc pertinentibus commotionibus animi non studiose abstinuerit. Redabit autem valetudo integra, cum redeunte vere, si sensim corpus a cruditatibus depuratum, & visceribus suum robur redditum fuerit.

§. XXXX. Hæc vero omnia, tanquam futura, cum tanto majori animi confidentia eloquimur in præsentia, quo certiores sumus, nostram per gratiam divinam, & statim recitanda medicamenta, pristinam recuperasse sanitatem, eaque hodie frui integerrimam.

CVRATIO.

Contra dolores post partum, die 2 Januarii modo a dorso versus ingvina tendentes, modo ibidem subsistentes, aut abdonem pervagantes, ipsaque genitalia obsidentes, adhibebantur sequentia cum successu

R. Eff. tberiæc. cort. numant. a 3j B. castor. 3j anod. 3B.

nitr. dulc. gtt. XX.M. D. S Mixtur, davon alle 4. Stunden 32. Tropffsen mit Bier zu nehmen.

Rx. ein. nat. ocul. ☽ ppt. + ♂ aliscach. Ludov. à gr. XXIV.

Laud. op. c. castor. gr. iij. elæof. cort. aurant. ☽ M. F pulvis.

D. S. auf 3. mahl / allezeit 2. Stunden nach den Tropffsen in Melissen oder Zimmet-Wasser.

Rx. Ungr. nervin. marriat. ☽ hyosc. laur. à 3ij. destill. aneth. anis. fænic. cort. aurant. chamam. rom. à git. vij. M. f. Linimentum, D. R. Säblein den Rücken / Lenden / Bauch und Schoos alle 2. Stunden warm zu schmieren.

Rx. Rad. Zedoær, levistic. à 3iij. Herb. matric. abrotan. meliss. Flor. cham. hort. melilo. sambuc. à Mj. sem. 4. calid. maj. à 3ij. Bacc. Laur. 3B. Incis. cont gr. m. includ. fuscuto lato. D. S. Säcklein/nach dem Schmieren gewärmet auf den Leib zu legen.

Genitalia ungebatur obstetrix ungv. de althea & pingv. galline, & apponebat spongiam, decocto fl. sambuc. malv. marrub. artemis. sem. caru. fæni. græc. cum cerevisia parato, imprægnatam. d. 3. erat puerpera omnium dolorum expers. d. 4. adversus calorem febrilem & inflationem abdominis revocabatur saeculus in usum, atque linimentum, a quibus pridie levare senserat, & simul sequentia interno usui destinabantur.

Rx. Mist. simpl. 3ij. eff. ther. aurant. à 3j. anod. 3B. M. D. S. Mixtur, davon alle 6 Stunden 32. Tropffsen im Biere.

Rx. ocul. ☽ ppt. + diaph. 4alis, à gr. XXIV. ☽ puri gr. viij. el. citr. aurant. à gr. V. M. f. P. D. S. Pulver / auf 4. mahl / zwischen den Tropffsen in Holunder-Blüth und Zitwer - Wasser zu nehmen.

Cum d. 7. hora tertia matutina Medicus ad ægrotam in ipso paroxysmo vocaretur, ingentem apparatus remediorum domesticorum pariter, ac pharmaceuticorum offendebat. Accenderant enim mulierculæ alas perdicum, & post harum consumtionem anseris; aliæ corn hirci, aliæ verrucis, a tibiis equarum desuntis, suffiebant; aliæ castoreum & asam fœtidam, in petia ligata, & aceto spicato madentia, naribus admovebant; aliæ allium contusum ori ingerebant; aliæ ex Ae accenso, & scopis,

Ex fine protractis, fumum pataturæ erant; eratque conclave jam tot ingratis odoribus repletum, ut vix sauci respirare possent. Interdicebatur itaque ulterior talium usus, ne ægra prorsus suffocaretur, & jubebantur adstantes ægram erigere, pannoque aspero collum, pectus, dorsum, brachia, & pedes fricare, & statim mistura, ex 2 lib. convall. formic. rosmar. &c. &c. to major. bacc. Junip. anis. carvi, fl. cham. parata, oblinere. Naribus admovebantur ess. asæ foet. & castor. cum 2 tu*ci. confusæ, a quibus ægram affici, motus labiorum & narium crispatio, cerebriusque reciprocata respiratio judicabat.

Propinabantur etiam misturæ ex Eſſ. castor. succ. & berber. cort. aurant. bals. Peruv. & & so hysterico paratae, gtt. 34, in coquleari cerevisiæ; sed videbatur anxietas inde manifeste augeri, & protrudebatur liquor ex ore & naribus, cum ingenti stridore ac roncho, ut tuto concludere liceret, pharyngem prorsus clausum esse; cum ne cerevisiæ quidem soli transitus pateret, sed hæc eodem modo repelleretur. Continuabantur igitur externa, modo dicta, & venter lito, d. 2 præscripto, camphoraque & ſjacuato, probe ungebatur, ſaceuloque, bis jam adhibito, tegebatur. Ut vero flatibus, in abdomen contentis, exitus paratur, præscribebatur clyster ex emollientibus, carminativis, uterinis, emmenagogis.

Post horæ lapsum ruſtitabat ægra bis, terve, quasi vomitura: actutum igitur ipſi mistura, modo memorata, & post eam aquæ flor. ſambuci, quæ cum ad manus erat, minimum ſi unæ vice ingerebantur, quas etiam ſine ullo impedimento deglutiebat: non ſine adiftantium gaudio, quod paulo post multiplacebatur, cum ægram levius respirare, collumque detumescere animadverent. Commendabatur huic a Medico abeunte mistura modo usurpata, ut elapla hora dimidia denuo in laudato vehiculo daretur, cum continuatione extenorū; ſimilque potiuncula ſequens in chartam ſcribebatur:

R. Spec. cord. temperat. de gemmis à 3j. ocul. & & l. Lud. à 3B. & cerasor. chæref. fl. ſamb. zedoar. meliff. à 3j. cinnamom. cyd. epil. Lang. à 3B. M. F. Potio D. in vitr. S. Sonderl. Fräncel. wohl umznrütteln / und eſſt Löffel Weiß zu geben.
Cum

Cum hora 9. matutina Medicus ad ægram reviseret, inveniebat eam in lecto sedentem, & jnsculum edentem. Evomuerat post alteram dosin misturæ ingentem colluviem pituitosam, austera, viridem, luteamque & spatio duarum horarum aliquoties ad Latrinam ducta alvum deposuerat, ut clystere non esset opus. Redierant quoque lochia; sed fœtida & pessime colorata, eruperantque cum flatibus, explosis cum sono ex genitalibus. Detumuerat equidem venter, sed audiebantur tamen adhuc in eo murmurantes venti, conquerebaturque ægra de insigni debilitate & lassitudine artuum, ὥστε οὐκόπω simili. Cum vero aliquamdiu quieti indulgeret, cibisque enchymis & medicamentis hactenus adhibitis, similibusque cordialibus, stomachicis, uterinis, balsamicis, absorbentibus &c. Ipsi prospicetur, paucorum dierum spatio satis commode se habebat. Die 18. minitabatur alvus, per triduum obstructa, novos motus: sed statim per clysterem, nuper in cellam repositum, ipsis cum egregio successu occurrebatur. Haud ægre feret Lector benevolus, quod in recensione remediorum parciores fuerimus: putavimus in præsentia nostrum tantum esse, fideliter recitare quæ præsentem ægram juverint, quibus addere, quæ aliis profuerunt, non erit arduum.

*DEO sit Laus & Honor in
secula.*



220.55.26

Cum ea amicis Hincus et leviter invaserit
et ad suum locum regrediret; paulisper
postea sibi eum non posse invenire
adoncerat quod tunc quodcumque
terre est. Ex hoc cum aperte
adversarii ducuntur, etiam
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur. Cum
hunc deputatus occiditur, etiam
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur. Quod
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur. Quod
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur. Quod
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur. Quod
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur. Quod
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur. Quod
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur. Quod
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur. Quod
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur. Quod
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur. Quod
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur. Quod
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur. Quod
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur. Quod
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur. Quod
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur. Quod
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur. Quod
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur. Quod
sicut in eo munitus erit, etiam
in tunc deputatur.

220.55.26

DEO VICTORIA

220.55.26

220.55.26

